



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Tent. V. Circa criminum dissimulatam vindictam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

templatio æternitatis major? prolixæ videntur febricitanti noctes, singulæ horæ producuntur in integros dies; discit ex impatentia brevissimi doloris, quantum erit æternum dolere. Hucusque ipsissimis ferè verbis sapienter Nierenbergius.

XXV. Sextò ei ostendat, quòd etiam ad cœlestem Philosophiam & sapientiam docendam DEUS sapienter morbos permittat, & immittat hominibus; suadent enim languores contemptum corporalium, ob oculos ponunt humilitatem nostram, levant animum ad contemplationem cœli, & instituunt in divinis; dum enim valemus, rebus implicamur, suis quisque occupationibus, studiis possessus, nullum DEO, nullum rebus animæ locum expedit: advenientibus verò morbis cessant negotia, ideòque applicatur animus ad conscientiæ curas, Deumque & cœlestia contemplanda & quærenda, ut meritò Georgius Pisides morbos *prudens DEI flagellum* appellaverit, & S. Gregorius Naz. animam à DEO afflictam DEO valde propinquam esse dixerit.

§. V.

Tentatio V. Circa criminum dissimulatam vindictam.

XXVI. **A** chatius advertens, gravissima quæque crimina à sceleratis committi, nec tamen à DEO puniri, gravissimè tentatur circa justitiæ divinæ æquitatem; & quia non poterat sufficienter ex hoc laqueo sese extricare, confessarii auxilium implorat. Quæritur, quâ ratione juvandus sit?

Responsio.

XXVII. Inprimis respondeat illi cum S. Augustino dicente; *Nihil est infelicius felicitate peccantium, quæ pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut herbas interior roboratur.* Et iterum: *Cum voluntas maiorem potestatem accipit efficiendi, quod cupit, ex iudicio Dei venit, apud quem non est iniquitas; punit enim eam isto modo, nec ideo injustè, quia occultè.*

XXVIII. Secundò illi ostendat, quòd ipsa conscientia mala sat gravis pœna sit; uti rectè S. Augustinus agnovit l. 2. *Conf.* dicens: *Iussisti, Domine, & verè sic est, ut pœna sibi ipsi sit omnis inordinatus animus;* hinc alibi fatetur, se passum fuisse in cupiditatibus amarissimas difficultates. Uade in Ps. 45. ait: *Inter omnes tribulationes humana anima nulla est maior tribulatio, quàm conscientia delictorum.* Imò S. Bernardo teste, *infernus quidam & carcer anima reatus conscientia est, quapropter S. Ambrosius l. de off. dicit: Quæ pœna gravior, quàm interioris vulnus conscientie: nonne hoc magis fugiendum, quàm mors, dispendium, exilium, debilitas, dolor.*

XXIX. Tertiò ostendat, quòd ipsa DEI temperantia iustitia quadam sit; peccantibus enim aliquando ignoscit, aliquando irascitur, aliquando reddit, non quantum digni sunt; suffert enim eos, ut sint, qui proficiant; lex enim quia seipsam mollire non potest, nobis (vel à DEO) mitiganda est. Quod confirmat S. Gregorius l. 1. mor. *Deus, inquit, nonnulla peccatit, & nonnulla inulta derelinquit. Quia si nulla resecaret, quis Deum res humanas curare crederet? & rursus*

si, si hac cuncta percuteret, extremum iudicium unde restaret?

XXX. Quartò illi referat, quid S. Anselmus dixerit, sic DEUM alloquens: Verùm quomodo malis parcis, si es totus justus, & summè justus? an quia bonitas tua est incomprehensibilis, latet hoc in luce inaccessiblei, quam inhabitas? verè in altissimo & secretissimo bonitatis tuae later fons, unde manat fluvius misericordiae tuae; nam cum totus, & summè justus sis, tamen idcirco etiam malis benignus es, quia totus summè bonus es; minùs namque bonus esses, si nulli malo esses benignus, melior est enim, qui & bonis & malis benignus est, quàm qui bonis tantùm bonus est; & melior est, qui malis & puniendo & parcendo bonus est, quàm qui puniendo tantùm. Et paulò post: Nempe si misericors es, quia es summè bonus: & summè bonus non es, nisi quia es summè justus; verè idcirco es misericors, quia summè justus es.

§. VI.

Tentatio VI. Circa vindictam criminum in aliis.

XXXI. Sulpitius Confiliarius Aulicus legens in S. Scriptura, quòd ob furtum unius Achan totus Israël divinas iras sustinuerit, & Filius David propter peccatum patris mortuus sit, imò omnes nos Adami posterii peccatum originale, omniàque inde manantia mala hæreditaverimus, graviter tentatur, circa æquitatem divinæ justitiæ, præcipuè cum in legibus suis expressè decisum inveniat, quòd peccata suos debeant tenere Authores, nec ulterius progredi metus, quàm reperiat delictum, Imò Deus

X § ipse